

montes usque turpi est fuga compulsa. Interim Alexiana classis lacum occupat: atque hic quum quasi corona Niceni vallati essent, victa tandem eorum pertinacia, deditioem faciunt. Illud prius fædere expressum, ut Nicea Alexio tradita, ii qui intus essent, cum armis & cæteris rebus Constantiopolim migrarent. Id etsi Alexii arte factum duces intelligebant, ne quid eo nomine Christianis deberi videretur, tamen quia præsentes conatus ex majore victoria pendebant, acceptam injuriam facile dissimularunt. Nicea in hunc modum recepta, confessim amotæ inde copiæ: ac bipartito ob locorum sterilitatem profecti, quarta luce ad rivum herbidos campos rigantem, metati sunt. Hic Boemundus, quum reficere vellet exercitum, jussissetque castra eodem quo erant loco communiri, trepidissimis nunciis aliis super alios adulantibus, ingentem vim hostium adesse cognovit. Edicit ille, ut confessim omnes a castrorum munitione aversi, se ad pugnam expediant: equitesque citatissimos ad Hugonem & alios mittit, qui nunciarent Turcorum multitudinem ingenitem venisse: orarent proinde, ut præsto sibi subsidio adessent. Ipse quadrato agmine in hostem ire pergit, qui jam in conspectu cum clamore, ut mos est gentis, erat. Et jam quidem in pugnam utrinque ferociter ibatur, quum majores hostium catervæ hinc inde sine tumultu loca eminentiora infederant: ab his incredibilis telorum multitudine in nostros conjecta est: quorum plurima, quia in cataphractos equites cedebant, irrita fuere. Normanus non sagittis, sed contis primo, inde gladiis cominus rem gerere. Ingentes Turcorum cædes eduntur, quum ex Christianis quam paucissimi interim occumberent: tantaque cadaverum strages fuit, ut effusus graffandi facultas omnino sit victoribus adempta: eratque pro vallo quodam impio hosti fœdissima illa suorum coacervatio. Dum igitur intentius utrinque pugnatur, mille Turcorum equites in Boemundi castra impetum fecerunt, subitaque mulierum & calonum cæde ingentem a tergo tumultum edidere: sed majorem omnino cladem attulissent, nisi Boemundi interventu e castris equitatus ille cum cæde fuisset dejectus. Verum, quum in aciem, relicta ibi ad præsidium equitum

occupant.

*Prospere pugnat Boemundus
Normanus adversus ingentes Turcorum copias.*

1097